




ALBERTUS QUADENIOHANS WILHELM
HERZOG VON SACHSEN LANDGRAF IN
THURINGEN VIKARIUS GRAF ZU MEISSE

J. 16r.

II, 46.



RECTORATVS

ILLVSTRISSI-

MI GENEROSISSI-
MIQVE PRINCIPIS AC

DOMINI D. MAGNI DV-
cis Brunsvicensis & Lunæ-
burgensis:

*Cum in inclyta Salana Academia Magi-
stratus Scholasticus communi omni-
um voto Celsitud. ipsius de-
ferretur*

III. Non. Februar. Anno Sal.
M. D. XCII.

Adiuncto Prorectore Magnifico D.

NICOLAO REVSNERO IC.
ET ANTECESSORE, ILLVSTRISS.
Saxonix Ducum Consiliario.

Cum carminibus inauguralibus:

ET

Elencho prælectionum publicarum ^{post} susceptum
Magistratum publicato.

IENAE Typis Tobia Steinmanni.



R E C T O R A C A D E M I Æ
I E N E N S I S S A M V E L F I S C H E -

R V S, S A C R O S A N C T Æ T H E -

ologiae Doctor, & Professor publicus, Aca-
demiae Iurisdictioni subiectis,

S. P. D.



E C H R Y S I P P O L I T E R I S

est proditum, quòd interrogatus, cur ad Rem-
publicam capessendam non accederet, respon-
derit: *Si malè administraret, se Deos offendere: sin
bene, non se civibus gratificari.* Protulit Chrysi-
pus humanæ rationis, de suscipiendo Magistra-
tu, sapientissimum iudicium. Nam aut admi-

nistratio, cuiuscunque Magistratus, est Deo grata, hominibus
salutaris, atque laudabilis, & tum civibus plerisq; invisa: aut po-
pularum favorem, connivendo, dissimulandoq; intempestivè,
ambitiosè venata, multitudinis sibi favorem & applausum conci-
liat; at supremi Numinis iram reprehensionemq;, cum iustitiæ
& deploranda disciplinæ iactura coniunctam, sapientissimè incurrit.
Non mirum est itaq; Platonem etiam & alios sapientes Ethnicos,
in tanto periculorum concursu, Magistratus adeò averfari atque
metuere; ut si verè boni sint, eum nunquam appetituri, vel ab eo
tanquam à rabioso cane se liberari, affirmare audent. Verùm his
sapientissimorum etiam sapientissimis, ut mundo videtur, iudi-
cijs, opponendas censemus esse, non modò aliorum Ethnicorum
voces præclaras, quæ in monumentis ipsorum passim occurrunt:
*sed etiam Spiritus sancti, qui sapientiæ Is. 61. & veritatis Ioh. 16. Spiritus
est, religiosissima de Magistratu, & honorificentissima testimo-
nia: quæ non tam de honestate ac utilitate, quàm de necessitate
& dignitate Sacrosancti Magistratus, nobis concionantur.*

Nam Herodotus quidem Magistratus, *Imagines Dei in terris,*
Plutarchus *vivum quoddam Dei simulacrum,* & eos præsertim, qui iu-
xta Xe-

xta Xenophontem boni, à bono patre nihil differunt: ποιμένας λέγει
ων, Deiq; filios Homerus: atq; animatam Dei imaginem Menander:
Persæ deniq; Magos, qui Regibus præceptores additi, ipsis inter-
dum succedebant, Deos, oraculis & quasi divinitus nominatos
atq; à supremo numine petitos ut ostenderent, appellant. Quem-
admodum enim, ut gravissimè Plato lib. 4. de legibus ait, bo-
ves non à bobus, nec capræ à capris reguntur, sed à præstantio-
re natura, scilicet ab homine: sic natura humana infirmior est,
quàm ut se ipsam regere possit; ideòque Deus præfecit hominibus, non
homines, sed præstantius & divinius quoddam genus hominum,
Heroes nempe. Vbi enim non Deus, sed Mortalis aliquis domi-
natur, ibi malorum & ærumnarum nullum est effugium. At ve-
rò divina vox, non tantum supremi Magistratus administratio-
nem concedit atq; iniungit fidelibus, Iosepho Gen. 41. Mofi Ex.
18. Iosux Num. 27. Deut. 3. autoritate simul & gravitate circum-
fusa, Iosux 4. Davidi 2. Sam. 5. 6. & aliis: sed etiam divini Numi-
nis atq; officii societatem, legitimo tribuit Magistratui. Nam
cum Dei iudicium exerceant iudices 2. Par. 20. *Dij à Deo*, qui
transfert & stabilit imperia, Dan. 2. 4. 5. eaq; largitur humilibus
Iob. 34. *regni sui ministri Sap. 6. Ex. 21. 22. Deut. 17. Psal. 82. nun-*
cupantur: imò Sapiencia Dei, Dei filius, in quo omnes Thesauri sa-
pientæ & scientiæ sunt reconditi Coloss. 2. *per me reges regnant*, in-
quit, & *Principes Proverb. 8. decernunt iustitiam, Per me Principes*
dominantur, & Principes & omnes iudices terræ. Nam verè, ut Basi-
lius in Psal. 32. ait, dominus reges facit, & nulla est potestas, nisi
à Deo constituta; sive sit Monarchia sive *Ἀριστοκρατία*. Quæ sanè
omnia, & Chrysippicæ, atq; aliorum prudentissimorum, de sus-
cipiendo & gerendo Magistratu, ἐποχῆ atq; dubitationi opponen-
da sunt: & fiducia divini auxilii, ita subeunda est atq; admini-
stranda hæc provincia, *ne Deus offendatur*, tametsi civibus omnibus
quod impossibile est, gratificari non liceat. Nec dubium est hæc
& alia in mentem venisse, Reipublicæ huius literariæ fundatori-
bus: qui non Magistratus tantum, sed etiam necessariam eius-
dem vicissitudinem, & mutationem, quæ circa individua versa-
tur, constituerunt. Cum itaq; novus iam in Republica litera-
ria Magistratus, Tertio Februarii, qui D. Basilio sacer est, publi-
ca solennitate renunciandus sit: significo vobis, consentientibus

Amplissimi senatus suffragiis, electum Rectorem, Illustrissimum & Generosissimum Principem ac Dominum D. MAGNUM, Ducem Brunsvicensem & Lunenburgensem, Dominum nostrum clementissimum. Magnus is, imò in hac nostra Salana iam Maximus, non modo propter ingenii vim, eruditionis laudem, & morum gravitatem dignam Principe; sed & propter maiorum celebritatem, quos in Illustrissima sua familia, Imperatores, bellica & togata fortitudine præstantissimos, & nostri seculi recenset lumina: avum paternum, ERNESTVM illum constantem & magnanimum, qui cum aliis paucis Augustanam Confessionem invictissimo Imperatori *Carolo V.* obtulit: maternum verò CHRISTIANVM Daniæ regem, nomine & re Christianum; parentem deniq; WILHELMVM Iuniorum, vera pietate, eruditione singulari, & iusticiæ amore, Principem laudatissimum. Pro Rector ipsius Illustrissimæ celsitudini adiunctus est, vir autoritate Magnifica, eruditione, legumq; scientia & virtute ornatissimus, D. Doctor NICOLAUS REVSNERVS, Iuridicæ facultatis Senior, & Antecessor, Illustrissimorum DUCVM SAXONIAE &c. consiliarius dignissimus. Ad huius ergo Magnifici & Illustrissimi Magistratus nostri renunciationem, atq; confirmationem, ut omnium ordinum facultatumq; Professores, ac nobilissimi, ornatissimiq; studiosi, frequentes conveniant, totius Academici Senatus nomine præcipimus; & simul studiosos hortamur, ut recitationi & repetitioni legum & statutorum nostrorum, quæ anima sunt nostræ Republicæ & Magistratus, intersint, flectiq; animos suos, ad religiosam earundem observationem & reverentiam, qua nullus triumphus, nulla gloria est, iuxta Platonem, excellentior, patiantur. Stare Deum in Synagoga Deorum, & clementissimè huic Academiae benedicere, ideoq; sempiternas ipsi gratias agendas esse, qui non videt; & Illustrissimo huic Magistratui, non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam, Rom. 13. obtemperandum studiosius, qui non iudicat: pietatis sanè, & honestatis non multò est studiosior, quàm Cyclops ille Euripidæus, qui nulla numina expavescit cælitum &c.

In hac effœta, & malitiosa mundi senecta, in qua calamitosum ἐπιθυμητικόν, Satanæq; iam iam iudicandi & cathenis tenebrarum vinciendi, in filiis incredulitatis furor & immanitas, sceleribus omni-

bus omnibus frenos laxans, & petulantia *ibersinā*, rabiosus do-
minatur, profectò necesse est: ut pietatis & sapientia studiosi,
vota cum universa huius oppidi Ecclesia, coniungant ad Deum
Opt. Maximum ardentissima: ut Academiam hanc nostram *verbi*
sui, & Lutherani Depositi custodem strenuam, atque in universa Sa-
xonia florentissimam, sub umbra alarum suarum paternè tueatur,
prosperitatem in Palatiis Magnifici atq; Illustrissimi Rectoris
nostri, & pacem intra muros nostros, Psal. 122. Ierem. 29. 1. Tim.
2. largiatur; confusis & elisis omnibus, sanguinolentis & vafer-
rimis Diabolicis machinationibus atq; repressis; & sublatis
vel mitigatis pœnis quas meremur tristissimis, famis, mor-
borum Epidemiorum, incendiolorum, inundationum
& aliis, vasa simus misericordia & maneamus, ipsi
grata, Ecclesia, Rebus pub. nobisq; salutaria
singuli & universi. B. V. P. P. die
Purificationis Mariae,
Anno 1592.



A S

DE TRI-

DE TRIBVS REIPVB. AD-
MINICVLIS SIVE FVLCRIS

ORATIO

ILLVSTRISSIMI GENERO-
SISSIMIQVE PRINCIPIS AC
DOMINI, D. MAGNI DVCEIS
Brunsvicensis & Lunaburgensis, Recto-
ris Magnificentissimi.



ARDVVM PROFE-
cto & grave munus est, AVDITO-
RES: quod à Senatu Academico me-
is nunc humeris imponitur. Nam

& per se difficile est homini in hominem imperium:
& magna arduaq; opera est, unum praesidere plu-
ribus, & universum Reipub. corpus recte commo-
deq; administrare. Quam sanè ad rem, cum animi
virtute opus est singulari, qua, velut anchora, na-
vis hac firmetur: tum vero in primis varia pru-
dentia, qua, veluti clavo, gubernetur. Quanquam
ergò ab hoc tam arduo difficiliq; munere suscipiendo,
me & aetatis & imperitiae rerum vindicat excusa-
tio: plus tamen apud me Senatus amplissimi valet
aucto-

auctoritas: cuius ego neq; benevolentiam erga me
ignorare, neq; existimationem bonam aspernari,
neq; voluntatem studiosam negligere debeo. Ac
proinde morem gerens Scholæ huius instituto: in
munere isto, quod cum fide semel mihi impositum
est, gerendo: tum fidem sapientiamq; ipsius Sena-
tus, tum verò maximè opem gratiamq; numinis
divini imploro. Ceterùm ex loco hoc pro more
quedam dicturus in hoc tempore: nullo in argumen-
ti genere commodius versari orationem meam pos-
se arbitror: quàm si breviter vobis exponam, AV-
DITORES: quibus rebus salus Reipublicæ, tum
civilis, tum literariæ, potissimum sustineatur. Sunt
autem tria, quæ in omni Republica, ut felix sit &
beata, maximè requiruntur: Magistratus nimi-
rum, Leges, & Disciplina civilis. Nam ut popu-
lo magistratus, ita magistratui præesse legem oportet:
verèq; dici potest, ut Tullio placet, magistratum
esse legem loquentem, & legem rursus mutum
magistratum: utrinq; verò civili opus est disciplina,
cuius legis executione quadam: sine qua nulla est non
modo legis, sed magistratus quoq; ipsius auctoritas.
Ac magistratus quidem, ut divina, ita sacrosan-
cta est potestas: cuius dignitas quadam videtur di-
vinitas.

vinitas: si salutariter atq; ex usu publico admini-
stretur. Ea verò conseruatur Pietate & Iustitia,
qua Deus quidam mortalis fit magistratus: qui
minister est religionis & iustitiæ, legisq; & iuris cu-
stos atq; executor: cuius officium in eo maximè ver-
satur, ut prasit subditis, prescribatq; ea, qua sunt
recta & utilia, legibusq; & rationi consentanea.
Itaq; non magis sine magistratu civitas, quàm
navis sine gubernatore, salva & incolumis diu
esse potest. Parum enim est, secundum Pompo-
nium, ius esse in civitate, nisi sit magistratus, qui
iura reddere possit. Quam ob causam etiam à
Marciano magistratus viva vox iuris civilis, &
à Iustiniano viva lex quedam & animata in ter-
ris appellatur. Iam verò lex mens est & veluti a-
nima Reipublicæ: à qua honestè recteq; vivendi
modum ea accipit: quæq; ceu dux & Princeps præ-
sident omnibus, tam bonis, quàm malis. Nam & se-
cundum Chrysippum, lex est omnium rerum divi-
narum & humanarum domina ac regina: cui omnes
obtemperare convenit: cum alias ob causas, tum
verò ob id maximè: quòd omnis lex Dei inventum
& donum est commune vitæ præceptum: delictor-
um, qua spontè vel ignorantia contrahuntur, co-
ercitio

exercitio: communis Reipublicae sponsio: ut sapienter
docet Demosthenes. Quemadmodum ergo sine
mente corpus, sic civitas sine lege, suis partibus &
nervis, ac sanguine & membris uti non potest. Sa-
lus enim Reipublica in legibus sita est, teste Aristo-
tele: quae ad salutem civium, civitatumque incolumi-
tatem, vitamque hominum, & quietam & beatam,
sunt condita: vereque sunt vincula civitatum ius &
aequitas, auctore Tullio. Porro civitatis disciplina,
ut legis, ita magistratus fida est custos, & admini-
stra: quae maximè continet Rempublicam: dum
vitam & mores cuiusque diligenter observat: bonos-
que, non solum praemiorum exhortatione, verum et-
iam metu poenarum, efficere homines studet. Prae-
mio enim & poena praecipue continetur Respublica,
ut Soloni placuit. Quo fit, ut si in civitate nec re-
cte factis praemia extent ulla, nec supplicia peccatis:
nec domus, nec Respub. ratione quadam & disci-
plina designata videatur: sed nec legis vel magi-
stratus in homines ulla sit divina moderatio, si in
ea discrimen nullum sit bonorum & malorum.
Quod si verò disciplina viget publica in civitate:
plerumque ea hoc efficit, ne sit opus multis legibus:
quod signum est Reipublicae bene constitutae. Nam

B

verum

verum est Taciti illud: corruptissima Republica,
plurimas leges grassari. Sic nimirum Respub. no-
stra Academica, singulari Dei Opi. Max. benefi-
cio, tribus hisce felicitatis suae partibus instructa est:
quae & magistratus habet suos legitimos: & leges
bonas atq; salutare: & probam honestamq; disci-
plinam. Magistratus quidem quam probe dili-
genterq; suo fungatur munere: non solum precipi-
endo & docendo, sed etiam agendo & faciendo ea
quae sui sunt officij, bonoq; adeo alijs praeundo exem-
plo: neminem esse arbitror, qui inficietur. Leges
autem ipsae Academicae sunt eiusmodi: ut omnem
virtutis & officij disciplinam contineant: neq; so-
lum de modestia & honestate vitae, sed etiam pie-
tate ac religione, omniq; doctrina liberali, praecepta
tradant. Publica deniq; disciplina, si magistratus
personam spectes, reprehendi nullo modo potest:
quae in custodia legum atq; executione debita consti-
tit: tantum obedientia, quo ad subditos, opus est:
ut & magistratibus & legibus sponte ac ultrò ob-
temperent studiosi pietatis ac literarum: non solum
propter iram, sed etiam conscientiam, ut Aposto-
lus monet. Felicitatis enim omnis & salutis ma-
ter est obedientia, secundum Aeschylum. Qua
in re

in re ne quis vestrum, *AVDITORES*, for-
tassis ignorantia pretextum aliquem habeat: pro
more & instituto Academia laudabili, precipua le-
gum nostrarum capita deinceps vobis per-
censeri opera precium fuerit: quarum voce
publica audita, quæ cuiq; facienda
& quæ fugienda sint, facile
animadverteritis.

D I X I.

DE NATALI DIE ACADÉ-
MIAE IENENSIS

ORATIO

POST LEGVM PROMVLGATI-
ONEM HABITA à MAGNIFICO
ProRectore D. NICGLAO REVSNERO Iur
recoss. & Antecessore, Illustriss. Saxoniae
Ducum Consiliario,



*Q*VM MVLTÀ, ILLVSTRIS-
sime Princeps Rector Magnificentissime,
Legati Illustrissimorum Saxoniae Ducum
Generosissimi & amplissimi, Princeps celsi-
sime, Comes inclyte, Illustres Barones, E-
quites splendidissimi, Patres Academici
clarissimi, Consules & Senatores prudentissimi, vosq; no-
bilissimi & studiosissimi Adolescentes, cæteri q; qui adestis
Auditores ornatissimi: cum multa, inquam, divinitus à
B 2 maioris

maioribus nostris inventa atq; instituta sunt: tum nihil sapientius aut præclarius, quàm quod certos quosdam & solennes feriarum dies, tam humanarum, quàm divinarum, constituere voluerunt: quibus homines à strepitu negotiorum conquiescerent: suumq; hoc modò non solum pietati & religioni sacrorum, verùm etiam virtuti & honori rerum benè laudabiliterq; gestarum locum relinquerent. Quo ex genere sunt non modò sacri & festi illi dies numini & cultui divino divinitus dedicati; & in his præcipuè, quos Dominicos ritè dixere maiores: quos semper honorabiles ac venerandos, nullis occupari voluptatibus, nec ullis executionum aut exactio- num vexationibus, aliisve operis & laboribus profanari fas est: verùm etiam aliæ quædam feriae solennes & conceptivæ: sive in honorem Dei & sanctorum, sive pro salute Principis & Reipub. incolumitate, publicitùs institutæ: quiq; vel lucis auspicia, vel ortus & inaugurationes summorum Principum & Imperatorum protulerunt: quos & ipsos splendidissima ludorù pompa ac voluptatum hilaritate olim à populo Romano celebratos fuisse constat: omnibus cæteris negotiis, tam publicis quàm privatis, interim conquiescentibus. Nam & post Calendas Ianuarias die tertio (si Caio Ic* credimus) pro salute Principis vota à Pontificibus & Consulibus Romæ publicè suscipiebantur: ac præterea ob natalis vel imperii diem vota quæ tannis concipiebantur solennia: ex quo etiam postea Quinquennalia, Vicennalia, Tricennalia vota in honorem principum nuncupata sunt. Sic & conditarum urbium, & coloniarum deductarum, & ædium dedicatarum natalia veteres magna religione celebrasse manifestum est. Nam & natalem urbis Romæ XII. Calendas Maij unà cum honore ipsius Romuli, qui urbem condidit, solenniter colendum Senatus populusq; Romanus censuit: quem festum diem

diem ipse Romulus Palilia, sive, ut quibusdam placet, Pa-
rilia indigetavit: & multis post annis Constantinus Magnus
Imperator eiusdem diei memoriam summa cum veneratio-
ne renovavit: ac præterea natalem diem urbis illius, quæ à
se restituta mirificeq; ornata cognomentum ipsius accepit,
summa festivitate & lætitia celebrandam instituit: sicut &
natalem eius urbis, quæ postea nova Roma appellata est,
ipse Imperator anno Imperii quinto ibidem magno appa-
ratu peregrisse scribitur. Quem postea morem secuti suc-
cessores ipsius Imperatores Valentinianus, Theodosius, &
Arcadius, Albino Præfecto urbi in hunc modum rescri-
pserunt: ut natalitios dies urbium maximarum Romæ atq;
Constantinopolis sine strepitu quotannis à cunctis cele-
brandos curaret: in quibus deberent iura differri: quoniam
& ab ipsis iura nata essent. Sed & non minus iucundi atq;
illustres unicuiq; nostrum esse solent ij dies, quibus aut na-
scimur, aut conservamur: quemadmodum apud Persas in
more positum fuisse legitur; ut suum quisq; diem natalem
convivio ad lautitias & luxum composito pro virili cele-
braret. Quòd si igitur non tantum urbium aut ædium sa-
crarum, sed privatorum quoq; hominum, nedum princi-
pum & Imperatorum natales dies solenni memoria & læti-
tia celebrari solent: meritò etiam Academiæ hic dies nata-
lis, qui idem quoq; est inauguralis, apud nos in honore
esse debet: ut & pietatis religionem Deo immortalis, &
honoris cultum magistratui, & grati animi memoriam toti
universitati Academicæ eodem nobis pacto contestari lice-
at. Magna enim debetur meritò gratia scholis & gymna-
siis, ceu pietatis & literarum domiciliis: in quibus vita ho-
minum (ut ait Imperator) & ad obediendum Deo, & ad
parendum magistratibus, & ad bene beatèq; vivendum si-
bi rectissime informatur. Quamobrem constitui A. V. D. in
hoc

hoc quidem tempore de hoc ipso natali die Academiae nostrae, eiusque celebrandi modo legitimo pauca quaedam vobiscum conferre: quantum quidem & loci & temporis huiusce ratio patitur. Vos ut me ex officio dicentem aequis animis auribusque accipiatis: & inopiae in dicendo meae veniam benignè detis, magnoperè oro atque obtestor.

Principio neminem vestrum ignorare arbitror. AUDITORES: ortum inclytæ huius scholæ, & felix eius auspici-um atque incrementum, secundum Deum, nos debere optimo & sanctissimo Principi heroi, IOANNI FRIDERICO, beatissimæ memoriæ, Saxoniae Electori Septemviro: qui bello difficilimo Germaniæ, rebus patriæ vehementer afflictis; maximo ipse vitæ & fortunarum constitutus discrimine; quum nescio qua fatali calamitate plerisque in locis de summa religionis Reique pub. Christianæ humanitas actum videretur: Gymnasium hoc literarium, ceu pietatis & bonarum artium plantarium novum futurum, in Salana hac provincia primus excitavit atque fundavit: anno post Christum natum sesquimillesimo quadagesimo octavo. Fuit sanè inceptu arduum hoc opus, & perfectu perquam periculosum visum quàm plurimis: sed fausto tamen lætoque eventu ac omine comprobatum divinitus: quo ipso animus postea fuit additus adhuc magis amplificandæ exornandæque scholæ illius, ceu animæ dotium officinæ celeberrimæ, summis à summo heroë patre heroibus filiis, ut laudis, ita virtutis heroicæ antiquæ successoribus: quibus maximæ curæ foret salus Ecclesiæ, & Reipub. literariæ incolumitas. Suscepta itaque statim post Patris mortem provinciæ huius administratione: cum in re honesta nihil ipsis satis esse existimarent: in eo uno elaborarunt maximè nunquam satis laudati Principes: ut censibus annuis scholæ liberaliter auctis, & comparatis idoneis magistris ac doctoribus,

etoribus, aliisque beneficiis & immunitatibus munificè col-
 latis: singulare publicæ Academiæ privilegium à CAROLO
 V. Augusto & FERDINANDO Cæsare Romano, quos ho-
 noris causa nomino, pleno iure impetrarent: misso ad
 hoc Legato IOANNE SCHROTERO Medico & Philoso-
 pho excellentissimo: per quem etiam res illa tunc benè feli-
 citerque & omnino laudabiliter ex voto fuit confecta. Sed
 hoc quidem Academiæ privilegium Cæsareum cum aucto-
 ritate & præsentia sua Principes Patriæ sapientissimi solen-
 niter comprobandum confirmandumque putarent: certo ad
 hoc præstituto die eò ipsi se contulerunt: ut benignissimæ
 ac propensissimæ illius voluntatis suæ inductionem publicè
 omnibus declararent. Fuit is dies post Calendas Febru-
 arias tertius anni Christiani M. D. LII X. quem ceu me-
 um quoque natalem rectè mihi venerari & colere videor: is
 nimirum festus dies, quo IESVS CHRISTVS Homodivus
 puer à matre Sempervirgine Maria pro more Domino ob-
 latus in porticu Salomonis, tanquam primogenitus alter
 Deo consecratus Pontifex sacerdosque æternus: & à Sime-
 one illo obviis exceptus ulnis, Messias generis humani,
 numinis divini instinctu agnitus, & ceu lumen salutare gen-
 tium tot seculis expectatum atque desideratum, palàm fuit
 decantatus: ex quo apud Græcos postea festum illud Hy-
 papantes nomen accepit. Hoc igitur tam festo & celebri
 die, primus Academiæ huius natalis dies, quem meritò
 nunc veneramur, celebratus tunc fuisse perhibetur, summa
 festivitate & lætitia: promulgatione facta publica ipsius
 privilegii Cæsarei, exordium huic tunc faciente Principe
 Illustrissimo IOANNE FRIDERICO II. ceu altero quodam
 Musageta Hercule: qui & suo, & suorum fratrum nomine
 (Nam solennitati huic interfuisse pariter constat sanctissimæ
 felicissimæque recordationis Principes IOAN. VVILHEL-
 MUM, &

MVM, & IOAN. FRIDERICVM III. Saxoniæ Duces fratres
verè Germanos, unà cum IOAN. ERNESTO Principe Hen-
nebergensium laudatissimo) eximium suum erga Academi-
cos studium & favorem sapienti & eleganti oratione con-
testatus: deq; prospero & felici eius statu solenniter con-
gratulatus: Privilegium istud Cæsareum publicè exhibere
Academiæ, ac dono tradere; eamq; in possessionem illi-
lius hoc modo voluit immittere omnino stabilem ac per-
petuam futuram. Tunc & eadem voluntate Principum ceu
Patrum Patriæ repetita prolixius, ac declarata denuò voce
GREGORII PONTANI Cancellarii; qui verè fuit alter no-
stri ævi ἑρμῆς λόγιος, ἢ ἑρμῆ λογίς τύπος, ut est in proverbio:
ac præterea commonitione salutari ad legum & disciplinæ
custodiam tuendam publicitùs facta: statuta legum Acade-
micarum ex diplomate promulgata primò, ac deinde Re-
ctori & Senatui Academiæ, unà cum privilegio, publica
auctoritate tradita atque commendata sunt. Quæ omnia
tandem excepit splendida & elegans oratio IOANNIS STI-
GELII de dignitate & utilitate artium, deq; usu privile-
giorum, omniq; disciplinæ ratione: quæ publicis literarum
monumentis prodita, in manibus hominum versatur.
Tunc & magno apparatu epulæ in curia solennes, & ludi
hastici in foro tam equestres quàm pedestres, aliaq; specta-
cula & certamina palæstrica, in argumentum singularis pa-
trocinii, publicè habita: de quibus plura me hoc loco di-
cere non est necesse. Atque hac quidem ceremonia & so-
lennitate primus Academiæ dies natalis celebratus fuisse
scribitur: qui & solennis dies inauguralis postea esse cœpit
novo magistratui ceu Rectori, Calendis Ianuariis iam an-
teà designato, publicè solenniterq; renunciando destina-
tus: sicut multis retrò annis observatum hoc fuisse constat.
Quod autè Leo & Anthemius Imperatores Amasio præfe-
cto Præ-

Et Prætorio rescripserunt: ut si ludi ac spectaculi alicuius
celebrandi solennitas in festum diem ortumve principis in-
cidat, ea in diem alterum differatur: idem quoque à maio-
ribus nostris fuisse usurpatum hæctenus animadverto: ut
festum hunc diem religioni & cultui divino relinquerent:
& insequentem diem alterum, non tam Academiae natali
colendo, quàm magistratui scholastico ordinando potif-
simùm tribuerent: quo & publica Rectoris per semestre æ-
stivum futuri renunciatio, & legum præterea ac statutorum
pro more & instituto Academiae laudabili solennis fieret
promulgatio. Meritò igitur diei huius, quem verè nata-
lem Academiae nostræ, aut certè salutarem appellare pos-
sumus, memoria nobis recolenda sempiterna: & eò qui-
dem maiore cum lætitia & gratulatione omnium recolenda:
quò splendidior & magnificentior est hodierni diei so-
lennitas: Principe & nomine, & re (ut ominari licet) MA-
GNO Magnifico Rectore paulò antè inaugurato. Equi-
dem non paucos ex ordine illustri hæctenus eadem digni-
tate ab Academia fuisse ornatos accepimus, magna inge-
nii & virtutis indole præstantes Comites ac Barones: & in
his statim post auspicia Academica PHILIPPVM Nassoviae
Comitem: neq; ita multò post HENRICVM Ruthenum
Plavensem Dominum: tres præterea Comites Gleichen-
ses, GEBHARDVM, SIGISMUNDVM, & VOLRADVM:
VVOLFGANGVM item Castellæ Comitem: & duos Co-
mites Mansfeldios OTHONEM & ERNESTVM: tum etiam
ANARCVM FRIDERICVM VVildenfelsium, & HVGONEM
Schoenburgium Baronem: & denique eum, qui superiore
anno magistratum gessit, IOACHIMVM ANDREAM SCHLI-
CKIVM Comitem verè generosum: de quibus omnibus
præstat filere, quàm pauca dicere. Sub idem verò tem-
pus annis superioribus, optimo & sapientissimo Principe

C

FRIDE-

FRIDERICO VVILHELMO Saxoniae Duce, Landgravio
Turingiae, Marchione Misniae Domino & Patrono nostro
clementissimo, solenniter quoque hoc ipso die in eiusdem
magistratus possessionem misso, quo ipse felix quasi tyroci-
nium & auspiciatum fecit exordium amplissimae administra-
tionis suae, natalitia haec & inauguralia maximo splendore
& apparatu fuisse celebrata intelligo. Quanta tunc Reipub-
lica causa laetitia totius provinciae? quanta Academiae gratula-
tio consecuta est? Quae tunc vota pro salute Principis con-
cepta? quae Principi gratiae à schola actae? quae à Senatu?
quae à bonis omnibus? Similis ergo diei huius festivitas
& laetitia debetur merito Principi MAGNO Duci Brunsvi-
gio & Lunæburgio, Rectori Academiae nostrae Illustrissimo
atque Magnificentissimo, uno consensu omnium, una vo-
ce Senatus Academici, uno scholae totius testimonio nu-
per Calendis Ianuariis designato, & solenni ritu paulò an-
tè declarato: ut planè intelligere nobis liceat, eandem di-
em, quam speramus fore aeternam, & ad salutem Acade-
miae, & ad memoriam honoris illius propagatam. Ac de
principe quidem MAGNO, eiusque praecleara ingenii & vir-
tutis indole quorsum attinet multa me hoc loco dicere
quem & summo loco natum, & bonis studiis liberaliter e-
ducatum, omni que laude religionis & virtutis egregie or-
natum, adolescente adhuc aetate ista dignum se maioribus
suis praestare quotidie experimur: quorum ille laudes &
decora sibi maxime proposita habet, quae in omni vitae ra-
tione sectetur & amuletur perpetuo. Possem, si vellem,
AUDITORES, multa hoc loco splendide & copiose com-
memorare de laudibus inclytæ familiae, tam maternae, quam
paternae: in qua utraque summos & maximos Principes,
Reges, Imperatores, summis & maximis perfunctos ho-
noribus ac muneribus in Republica, reperire licet quam
plurimos:

plurimos: quos ad salutem Romani Imperii tuendam, ad
conservandam religionem, ad libertatem patriæ propu-
gnandam promptos semper paratosque fuisse compertum
est. Ac de profapia quidem paterna neminem vestrum
ignorare arbitror: eam à Regibus Longobardis & VVelfis
primò ortam esse atq; propagatam: in quibus (ut alios præ-
teream) excelluit præcipuè rerum gestarum gloria HENRI-
CVS LEO Saxonix & Bavariæ Dux, Princeps fortis & ma-
gnanimus: qui Henetos penitus edomitos religione imbu-
it Christiana. Is filium post se reliquit HENRICVM Sep-
temvirum Principem Palatinum, & OTHONEM alterum fi-
lium, Romanorum Imperatorem huius nominis Quartum:
ac præterea nepotem ex filio OTHONEM, VVILHELMI
filium, singularis meriti ergò à FRIDERICO II. Cæsare pri-
mum Ducem Brunsvicensium & Lunæburgensium saluta-
tum. Quid dicam de ALBERTO Seniore, Principe re &
nomine MAGNO? Quid de MAGNO illo PIO, eiusq; filio
cognomine MAGNO TORQVATO: ex quo prognatus
fuit heros ille maximus & fortissimus FRIDERICVS Roma-
nus Cæsar designatus? De his ergo omnibus & aliis maio-
ribus Principis MAGNI ut nihil hoc loco dicam amplius:
nunquam profectò aut FRIDERICI atavi summa pietas
erga Deum & religio, aut OTHONIS abavi virtus eximia,
aut HENRICI proavi forritudo animiq; magnitudo egre-
gia, aut avi ERNESTI clarissima auctoritas & sapientia u-
susq; in Repub. gerenda, & in propugnanda religione Or-
thodoxa fides atq; constantia, aut deniq; patris VVILHEL-
MI humanitas & iustitia incredibilis in occulto latere, aut
ulla hominum oblivione obscurari poterit; sed memoria
& commendatione eorum, qui sunt, aut futuri sunt dein-
ceps, propagabitur ad omnem posteritatem perpetuò.
Iam verò quæ laudi & virtuti summorum & maximorum

Principum in materna gente & domo par inveniri poterit oratio? Dies profectò me citius deficiat, quàm oratio: si quæ in laudem inclytæ huius familiæ dici possunt, coner non dicam exprimere, sed leviter duntaxat perstringere, aut percensere. Quæ quidem ex veteri VVITIKINDI Saxonum Regis stirpe orta, stemma produxit longè florentissimum Regum Cimbrorum, qui nunc rerum potiuntur: ex familia Comitum Altenburgicorum quondam progenitorum: in qua tot principes floruerunt & re & nomine CHRISTIANI: quorum erga Deum pietas ac religio, & fides adversus Rempublicam, & amor erga literarum studia, & in omnes homines humanitas benevolentiaq; singularis laudem & commendationem meretur immortalem. Ex his verò (ne alios recenseam) CHRISTIANVS I. abavus Principis MAGNI maternus, princeps religione & iustitia insignis, non modò primus Holsatiæ, Stormariæ & VVagriæ Dux appellari meruit: sed tria quoque regna potentissima Daniæ, Norvegiæ, Sveciæ, unà cum Gothorum Vandalarumq; & Diethmarforum imperio universo possedit. Cuius deinde filius FRIDERICVS I. Principis MAGNI proavus, pacis quàm belli studiosior, reformandæ fidei & religioni sanctæ operam navavit salutarem: quam avus postea CHRISTIANVS III. Princeps sanctissimus & laudatissimus, maiori quodam numine fundavit atq; amplificavit: verè ille pater patriæ, & patronus literarum, & Musarum Evergetes, ceu alter quidam Iupiter salutaris Poliuchos, custos & conservator felicitatis hominum & civitatum. Quam laudem optimo exemplo continuavit FRIDERICVS & nomine & re SECUNDVS, Principis MAGNI avunculus Rex verè pacificus ac pius, idemq; heros in bello fortis ac strenuus: quod septennale eius bellum terra mariq; gestum contra Suecos satis testatur: quo & ipso patre natus filius CHRISTIANVS

STIANVS IV. Rex Daniæ designatus, vivo etiam dum pater, ætate nondum matura satis, patriæ avitæq; virtutis hæres, edit quotidie aliud ex alio specimen indolis virtutisq; regiæ: de quo, quoniam hoc in conspectu & ore est omnium, plura dicere supersedeo. Tot igitur & tam claris heroibus maioribus suis inclytus Princeps MAGNVS, solennibus scholastici magistratus paulò antè ornatus, & Rector Academiæ renunciatus verè Magnificus, hodierni diei tam felicitis & auspiciati solennem auget celebritatem atq; festiuitatem: quam & ipsam sua unumquemque nostrum lætitiæ & amænitate ingenii, quotquot in luce huius Academiæ versamur, multò etiam auctiorem illustrioremq; reddere: & pro salute incolumitateq; tum Principis, tum ipsius Academiæ totiusq; Reipub. literariæ vota facere convenit. Nam & olim eiusmodi vota, quæ magistratum procurabantur religione, neglexisse, non minus periculosum erat, quàm per genium & salutem principis peierasse: quemadmodum Thraseæ olim ab accusatore obiectum scribitur, quòd principio anni solenne vitaret iusiurandum, nuncupationibusq; votorum non adesset: & quamvis quindecim virali sacerdotio præditus, nunquam pro salute principis aut cœlesti voce immolasset: unde & à Nerone ob eam causam occidi iussus traditur. Maeste ergo Princeps MAGNE: maeste inquam excellenti isto bono tuo: & honore isto novo ac titulo, quem merito tuo tibi gratulamur, fruiere cum fortuna & gloria: tum etiam ingenio & genio tuo verè heroico & divino. Pro quo sanè eiusq; incolumitate vota dum facimus: pro Academiæ ipsius salute vota nos facere existimabis: quod mecum ita sentiunt omnes, quorum in te oculos & ora convertisti: sed quia non est astantibus omnibus necesse dicere, à me certè dici volunt, cui necesse est quodammodo, & quod ex officio præcipue id à me fieri debe-

eri debere intelligo. Nam lætari omnes & congratulari,
quotquot præsentibus conspicamur, non ut de unius solum,
sed ut de communi omnium salute sentio. Te magnus ille
magni consilii angelus, magnus consilio, potens opere,
numine impleat suo: ut sis Princeps, qui es & diceris,
verè MAGNVS: magnus inquam consilio, potens opere:
idem benigna efficiat voluntate sua, ut vivas, ut valeas, ut
omnibus naturæ & fortunæ bonis floreas: ut virtute digni-
tateq; heroica æques maiores: ut cum provinciæ tuæ, tum
Academiæ nostræ diu sis salvus & salutaris. Vos quoq;
compello, Patres conscripti, viri clarissimi atque huma-
nissimi: vos inquam tum mea, tum Principis MAGNI Re-
ctoris voce oro & obtestor: ut communi in navi nos seden-
tes ad clavum Reipub. remigio vestro strenuè alacriterque
adiuvetis: omnes nobiscum Syrtes, Charybdes, Scyllas,
alia denique monstra, si qua in navigationis cursu illo oc-
currere possunt, prudenter & accuratè provideatis: & quan-
tum in vobis est, studiosè & diligenter avertatis: ne vel un-
darum absorpti voragine, vel cautibus illisi scopulosis nau-
fragium faciamus. Proinde in summo nostræ navis malo
ipsoq; carchesio, summum illud nautarum præceptum, quo
ὀρθάν τὴν ναῦν ἰσάνααι monemur, aureis inscriptum literis existi-
mate: & ad hoc identidem oculorum convertite aciem: cur-
sumq; ipsum ac totam velificationem, non tam ad veterum
Cynosuram Helicene, nec ad hodiernam pyxidem nauti-
cam, acumvé magnetē tinctam, sed potius ad cælestem re-
gulam, veræq; religionis & sapientiæ normam dirigite: o-
mnibusq; modis hoc nobiscum efficere studete: ut Respub.
hæc nostra literaria sit verè (quod de sua Respub. Plato glo-
riatur) *θεοεικὸς καὶ θεοειδής*. Equidem de me ipso polli-
ceri multa nec volo, nec possum: sed potius memor imbeci-
lilitatis meæ, liberè ac ingenuè profiteor; Platonicum vos
in me

in me habere nauclerum, ut ille ait, ὑπόκωφόν τε καὶ ὀργῶντα
βραχύ τι. Fretus tamen fide sapientiaq; vestra, Patres con-
scripti, in qua, secundum divini numinis gratiam, pluri-
mum confido, munus hoc arduum & difficile cum fide se-
mel mihi impositum, cui ferendo longè me imparem esse
video, si praesertim vos illud aliqua ex parte allevabitis, fe-
ram quoad potero studio & industria. Tantum hoc vos
moneo, patres conscripti: ut mecum caveatis sedulo ac di-
ligenter: ne idem nobis eveniat, quod nautis seditiosis es-
venire Plato scribit: nimirum τὰς ναύτας σαισιάζοντας πρὸς ἀλ-
λήλους περὶ τῆς κυβερνήσεως, ἕκαστον οἰόμενον δεῖν κυβερνᾶν, μήτε
μαθόντα πώποτε τινὲ τέχνην, μήτε ἔχοντα διποδεῖσαι διδάτκαλον ἐαυ-
τῶν, μήτε χρονον ἐν ᾧ ἐμάθανε: αὐτὰς δὲ αὐτῶ ἀεὶ τῶ ναυκλήρω πε-
ρικέχυοθαι δεομένους, καὶ πάντα ποιῆντας, ὅπως ἂν σφίσι τὸ πηδά-
λιον ἴππις ἐψῆ. TANDEM ad vos me converto, inclyta & ge-
nerosa iuventus, & tota cohors studiosa: vos inquam, A-
dolescentes studiosissimi, pro ea, qua mutuò devincti sumus,
caritate & humanitate, moneo & hortor: ut quid vestri sit of-
ficii ac muneris, studiosè cogitetis: neq; cogitetis solum, sed
omnib. quoq; modis efficere perpetuò connitamini: & quid
magistratus, quid legum, quid disciplinæ auctoritas à vobis
postulet, diligèter consideretis: qui honor unus à vobis ma-
ximus & optimus solenni huic diei praestari poterit: ut quo-
ties ille deinceps annis sequentibus cum honore vestro re-
curreret, toties laudem & fructum reportetis præclaram,
non modò conscientiae bonæ; verum etiam obedientiae
præclaræ: qua nulla apud Deum victima maior, nullus tri-
umphus gloriosior meritò habetur. Solebant olim veteres
natali die suo sacra pulte fitilla conficere, & Genio merum
fundere: non hostiam facere: ut manum cæde ac sanguine
abstinerent: ne scilicet ea die, qua ipsi lucem accepissent,
aliis demerent; unde & Deli ad Apollinis genitoris aram
(ut Ti-

(ut Timæus auctor est) nemo hostiam cædebat. Quod postea in feriis quoq; publicis usurpari cœptum : novo genere ludorum instituto : quos primos cruenti (ut Eusebius loquitur) sacrificii expertes celebrasse scribitur Constantinus Magnus Imperator : cum decimo Imperii anno pro veteri more vota sibi solvenda imperii decennalia , & concipienda vicennalia putaret. Rectè illud quidem : siquidem boni etiam farre & fictili religiosi sunt : mali rursus non effugiunt impietatem , quamvis aras multo cruentarint sanguine. Neque enim Deus colitur taurorum optimis corporibus contrucidatis : nec auro argentoq; suspenso , sed pia & recta voluntate. Similem ad modum , *ADOLESCENTES* studiosissimi , vos quoq; natalem hunc diem Academiae simul & inauguralem nobiscum recolite obsecrò : ut sacra pulte religionis & doctrinae liberalis enutriti , meroq; sapientiae & virtutis exhilarati , non tam Genio ; quam ingenio litetis : & dum inter homines vivitis , humanitatem , à qua humanitatis studia appellata sunt , potissimum colatis : neq; cuiquam sitis terrori aut exitio ; sed omnibus commodo ac praesidio. Equidem non ignoro , amara esse malè viventibus legum & iustitiae praecepta ; neq; etiam inficior illud , facilius apud multos penetrare verba , quae molli vadunt via , quam aspera. Quod si ergo vis omnis imperii in consensu obedientium est : ne sit opus legum minis & praeceptis : sitis quaeso ipsi vobis pro legibus : leges inquam vobismetipsis indicite pietatis , verecundiae , modestiae , innocentiae , pudoris , continentiae , virtutis , industriae , diligentiae : & spontè ac ultrò , quod optandum est , facite , quod faciunt ingenia bona , ut velitis & obtemperetis , & elaboretis in iis omnibus , quae ad officium vestrum pertinent. Colite obsecrò magistratum : colite leges & statuta : colite disciplinam publicam : vestramq; adeò voluntatem legum & ma-

& magistratus conformem voluntati reddite: & modestiæ
obedienciæq; decus in omnibus officii partibus retinere
studete: operam deniq; date sedulo, ac diligenter; ut sitis,
qui esse vultis, studiosi: studiosi inquam religionis, virtu-
tis, doctrinæ, honestatis, morum bonorum: Deo semper
devoti: magistratibus subditi: magistris obediens: ce-
dentes maioribus: parcentes minoribus: verbo utiles:
corde humiles: moribus deniq; erga omnes faciles & man-
sueti: ut optimis vos moribus præditos esse appareat: & ex
tota vitæ ratione eluceat, quæ scholæ nostræ sit disciplina,
modestia, reverentia, ordoq;, & modus, sine quo nihil
laudabile ac moderatum esse & inveniri potest. Sed ne
Scauri illud vetus mihi obijciatur, minus magnam virtu-
tem esse scire dicere, quàm scire desinere: finem tandem
dicendi facio. Quod reliquum est igitur, tibi æterne DE-
vs, Pater Domini ac Servatoris nostri IESU CHRISTI,
immortales agimus gratias: quòd tot & tantis beneficiis
nos quotidie afficis: quòd magistratum largiris prudentem,
Ecclesiæ Scholæq; nutricium: quòd Ecclesiæ & scholæ das
doctores pios ac fideles: quòd omnis generis calamitates
& pericula clementer avertis. Fac quæsumus misericors
& clemens Deus: hæc ut nobis sit felicitas perpetua: quò
& grata tibi, Ecclesiæ salutaria, utilia Reipub. & discere,
& docere, & facere semper possimus. Maximas quoque
gratias meritò habemus & agimus Illustrissimis ac Celsissimis
Principibus ac Dominis D. FRIDERICO VVILHELMO,
Electo Saxonici Administratori & Tutori, D. IOANNI,
itemq; D. IOANNI CASIMIRO & D. IOANNI ERNESTO,
Ducibus Saxonæ, Landgraviis Turingiæ, Marchionibus
Misniæ, Dominis nostris clementissimis: quòd Ecclesiæ &
Scholæ hac in urbe hospitium tam benignè & clementer
concedunt: eoq; ipso animum erga literas earundemq; cul-
tores

D

tores

tores verè declarant paternum : neq; de sua solùm pròvin-
cia benè præclareq; merentur , sed & tot Ecclesias , tot
Scholas , tot dinarchias , tot regna conservant , quot stu-
diorum causa hic degunt , iisdemq; commodare aliquando
poterunt : alia deniq; in nos conferunt beneficia , quæ non
dico augere ornando , sed percensere enumerando nostra
nos imbecillitas haud patitur. Sed & magni beneficii lo-
co habemus meritò , & habituri sumus perpetuò , quod so-
lennem hunc actum Celsitud. ipsorù tam splendida & illustri
legatione condecorare dignatæ sunt : misso huc illustri &
generoso Domino BURCARDO Libero Barone Schenckio
à Tautenberg , Domino nostro benignissimo : ac præter-
ea nobili viro ERNESTO THEODORICO à Starchedel ,
illustrissimi Ducis Teschinensis Aulae Præfecto : itemq; D.
MICHAELE VVIRTH Iurisconsulto & Cancellario Co-
burgio amplissimo : quibus omnibus singulatim eodem no-
mine quoque pro honorifica præsentia maximas , ut debe-
mus , agimus habemusque gratias : omniaque obsequii,
cultus, observantiæ officia , quæ quidem à nobis expectari
possunt , rursus pollicemur ac deferimus. Gratias quoq;
agimus inclytis & Generosis Dominis Comitibus & Baro-
nibus : omnibus denique Academiae huius Professoribus,
Doctoribus , & Magistris , ut & consulibus ac Senatoribus,
cæterisq; scholæ nostræ civibus , & hospitibus ornatissimis
pariter & humanissimis : quòd suam erga nos & Rempub.
hanc literariam animi promptitudinem & benevolentiam
ista præsentia sua testatâ facere voluerint : quibus omnibus
& singulis , quantum quidem nostra admittit tenuitas,
grati memorisque animi officia deferimus : nullo
unquam loco aut tempore , ubi gratificandi
occasio dabitur , ipsis defutura.

D I X I

I N A V G V

INAUGURALIBVS
ILLVSTRISSIMI PRIN-
CIPIS AC DOMINI, D. MAGNI

Ducis BRVNSVICENSIS ac LVNAEBVRGENSIS,
Rectoris Academiae Salanae Magnificentissimi so-
lenniter renunciati III. Nonas Fe-
bruarii. Anno

M. D. XCII.

EPIGRAMMATA.

I.

D. NICOLAI REVSNERI

Prorectoris Magnifici.



Magnificos offert titulos Academia, Princeps
MAGNE tibi, magnæ laudis & inde decus.
Et meritò, MAGNVS tam re quàm nomine Re-
ctor,

(Si verum mihi mens augurat) unus eris.

Ingenio magnus; maior virtute futurus;

Maximus æterni relligione Dei.

Macte animi, DUX MAGNE: novos age lætus honores

Accipe: te MAGNO fit Duce magnus honor.

Quodque facis, MAGNI virtutem extendere factis

Perge Ducis; magnum te manet inde decus.

Ducat in exemplum te virtus magna parentum;

Suscitet hinc gemini par quoque fratris honos.

Albiaci ERNESTVS fuit, AVGVSTVS que Lycei:

Salanae MAGNVS tu mihi RECTOR ades.

MAGNIFICI, dum magna facis, sic grande mereris

Nomen, & hinc MAGNI nomen & omen habes.

D 2

II. Gene-

II.
G E N E R O S I D. H E N R I C I R V-
T H E N I D O M I N I à P L A V E N & C.



Vid sibi vult ingens plausus? quid splendida pompa?
Cur placidas agitant hominū nova gaudia mentes?
Dulcia Theſpiades fundunt cur iubila Musa?
Ordine cur longo patrum lectissima turba
Procedit, Clarij decus admirabile cœtus?
Nempe tibi nostri Dux INCLYTE, ſceptra Lycei,
Purpuream chlamydem, faſces, inſignia, mandant:
Sic ut Apollinea turba, caſtisq; Camœnis
Præſideas, iuſſis flectas monitusq; iuventam,
Quæ vigil hic viſit ſacrata palatia Phœbi.
MAGNUM etenim faciunt te, clarum nomen avorum,
Ingenium ſollers, rara ſpes indolis ingens,
Et quæ poſt obitum claros facit ardua virtus.
Nam quid avum referam? qui conſtans dogmata pura
Celeſtis verbi intrepidè eſt oracula profeſſus;
Inſignis cuius pietas poſt funera ſplendet?
Quid memorem patrias laudes, ipſumq; parentem?
Qui pietate gravis, nulli eſt virtute ſecundus:
Quo non nobilior, quo non eſt iuſtior alter:
Dignus longa ſenis Pylij qui tempora vivat.
Nunc tibi quod ſupereſt tandem, celeberrime Princeps,
Comprecor imperium, ſolemnem grator honorem:
Et precor ut fauſto ſuccedant omnia curſu.
Vive, valeq; diu Dux inclyte Reſtor: & annos
Nefloris ex ſupera longo haud inglorius avo.



GENEROSI D. GVNDACCARI
Baronis in Pothaim.

DU VPUREO MAGNVS DUX cur veletur amictu?
Cur gerat & celebris regia scepra scholæ?
Cur claves multas gerat, & cur nobile munus
Suscipiat? passim foemina masq; rogant.

In promptu ratio est: Magnum decet alma potestas;

Conveniunt Magno maxima regna duci.

Cumq; caput Themidos, Sophiae atq; Machaonis artis

Ac Heliconiadum, nostra Lycea legant:

Te sacra iura vocant MAGNUM, te maxima regna,

Quo non est maior, non sine iure vocant.

MAGNE tibi fasces Salani, maxime Princeps,

Imperii cedunt agmina tota Scholæ.

Carmine nunc tenui MAGNI Rectoris honori

Gratulor ex animo, cunctaque fausta precor.

Sic valeas sospes, Pylios sine labe per annos

Sic vivas; Lachesis stamina longa trahat.

IV.

BARTHOLOMAEI REVSNERI

V. I. D.

QUANTA magistratus praestantia, quanta potestas,
Et quanta sit necessitas:

Ethnica testantur passim monimenta, probatur

Idem sacratis paginis.

Plutarchus sic viva DEI simulacra vocavit,

Qui ceteris praesunt: eos

D 3.

Proge.

Progeniem superum indigitavit Homerus; at ipse
Appellat Deos DEVS:
Tantaq; per tales largitur commoda nobis,
Qua lingua vix edisserat.
Nam veluti puppis gnaro spoliata magistro,
Hinc inde vana fluctuat:
Sic populus rectore carens mox impete ceco
In omne degener nefas
Muneris oblitus cupidè ruit. Inclyte Princeps
Lumen Lycei nobile,
Præfulgens reliquis, velut Hesperus emicat inter
Minora cali sidera:
Te sibi Rectorem paribus Salana creavit
Suffragiorum calculis
Nuper: ut egregiam, qua nunc viget aurea, laudem
Adaugeat tantum decus.
Nempe tot illustres illustri in pectore dotes
Spem pollicentur optimam:
Quod sub presidio tanti sint nominis aptè
Cohæsitura singula:
Et nunc tempus adest DVX illustrissime, Guelphæ
Future post Rectorem domus:
Aggredere officium, paulimq; assuesce vocari
Deus: Deum vocat DEVS+
MAGNVS magnifico sic nomine & omine Princeps
Dicaris, immò MAXIMVS!

V.

M. WOLFGANGI HEIDERI
Collegij Philosophici Decani.

Magus

M A G N V S es ō Princeps atavis, virtute, sagaci
 Indole: suscepto munere maior eris.
 Magnus es, à magnis Ducibus veterumq; potenti
 Edite Guelphorum stemmate: maior eris.
 Magnus es, imperii domus hæc tulit inclyta fasces,
 Sceptra tulit quondam regia: maior eris.
 Magnus es, invictas moderabere Saxonis oras:
 Iura dabis populis integra: maior eris.
 Magnus es, haud ficta numen pietate vereris:
 Principis hæc virtus maxima: maior eris.
 Magnus es, ingentes animos sub pectore verfas:
 Principis hæc virtus propria: maior eris.
 Magnus es, & mitis placido regis omnia vultu:
 Principis hæc virtus optima: maior eris.
 Magnus es, in nostro ceu lucida flamma refulges,
 Ceu nova stella micas ordine: maior eris.
 Magnus es ingenio, discendi magnus amore,
 Et culto studiis pectore: maior eris.
 Magnus es, umbriferi capis aurea sceptrâ Lycei,
 Sceptra manu tractas patria: maior eris.
 Magnus es, argutæ pangunt tibi carmina Musæ;
 Lata cient plausu sidera: maior eris.
 Magnus es, Aoniæ valles collesque resultant,
 Ac nova testantur gaudia: maior eris.
 Magnus es, exultat pietas, pax alma triumphans
 Invehitur M A G N O sub Duce: maior eris.
 Magnus es, egregium tibi fors bona iunxit Achatem,
 Qui leve reddet onus quod grave: maior eris.
 Magnus es: auspiciis ineat felicibus, opto,
 Quod geris officium nobile: maior eris.
 Magnus es, auspiciis felicibus exeat, opto,
 Quod geris officium nobile: maior eris.

Maiores

Maior eris MAGNO Princeps: quin maximus olim
MAGNE togatus eris, MAGNE sagatus eris.

VI.

M. LAURENTII RHODOMANNI,
utriusque linguæ Professoris in Aca-
demia Salana.


MAGNE tibi leto quàm pectore grator honores?
Quod recipis nostræ sceptrâ decorq; Scholæ.
Dignus eras certè, Dux optime: nam tibi gens est,
Quæ nulli cedit nobilitate, vetus.
Sunt tibi maiores: totum quos gesta per orbem
Laudibus extollunt ad Iovis usque thronum.
Est vis ingenij, spondet quæ maxima; Mores,
Ornatum veræ qui probitatis habent.
Est animus, magno fervens virtutis amore:
Qui Sophiæ toto pectore quarit opes.
Nam tibi non satis est regali sanguine nasci,
Virtutesq; domus dicere posse tua:
Artibus ipse bonis cupis inclarescere: verum
Ac proprium tibi vis conciliare decus.
E studijs etenim sapientia crescit honestis:
Hinc virtus, magnos quæ facit esse viros.
Ergo Salanas arctè complectere Musas:
Dum discis quæ sunt Principe digna bono.
Scilicet ut vero decores pia numina cultu:
Et MAGNVS factis grandibus esse queas.
Maecte igitur tanta Dux indole. Nec tibi deerunt,
Præmia: quid fiat iam tibi, nonne vides?
Tu quas semper amas, quæ sunt tua gaudia, Musæ,
Fascibus en tradunt iam sua iura tuis.

Magnus

Magnus honos, MAGNO iam debitus. Hinc ubi MAGNVS
Maior erit, maior facta sequetur honos.
Sors tua sit felix: qualem LEO magnus habebat,
Cum per Teutonium Rex velut alter erat:
Saxoniæq; suam Boios extendit ad ipsos;
Atq; Henetum valido Marte subegit, opes.

VII.

M. IOSVÆ OPITII
Generosi D. Georgij Guilelmi Baronis à
Zinzendorf Moderatoris.

 t divina novis aspirent Numina sceptris,
Rector Prorector Maxime Magnifice:
Ipse, precor, tanti cumulator & auctor ho-
Pectora divino Flammine vestra regat. (noris
Pulchra quidem res est Rectoris munere fungi:
Ardua sed, mentem ni Deus ipse regat:
Hoc præsente, bonis feliciter omnia cedunt:
Hoc absente, malos aspera quæque premunt.
Hoc præsente, boni pulchro virtutis amore,
Illius ingressi sponte sequuntur iter.
Hoc etiam præsente, mali formidine poenæ
Protinus à vitiis abstinuisse solent.
Denique si quandoque pios fera fata fatigant:
Ipse fatigatis dulce levamen adest.
Tristia cum lætis & dulcia miscet amaris:
Sic ut grata Deo dicere iurè queant.

E

Hoc

Hoc igitur vobis sit honos ut nomine felix
 Auspiciū, medium, finis & ipse bonus:
 Rector is erectis ad cœli sidera palmis
 Non dubia nobis voce rogandus erit,
 Tunc vestris aderit cœptis, tribuetq; secundos
 Successus, simul & tempora læta, DEVS.
 Hæc, precor, hæc veniant divino munere vobis,
 Rector Prorektor Maxime Magnifice.

VIII.

OTHONIS SVALENBERGII
 LIPSIIENSIS.

Nocturna Brunonum soboles Ducis, inclyte
 Princeps,
 Fasces dum tradit splendida SALA
 tibi:

Ille tuus pro te, sceptrisq; quid optet alumnus
 Accipe, submisso pectore vota fero.
 AVGVSTVS, Dux MAGNE, tuus dū bellica si-
 Gallorum ducit pro grege, Rege pio: (gna
 Martia dum Guelfæ renovat sic nomina gentis,
 Ac tentat patriam condecorare domum:
 Te pia Salana comitetur turba Minerva:
 Lumina te Themidis, te Sophos omnis amet.
 Te

Te forā mirentur, te templa, palatia laudent:

Et cingat celebrem docta corona DVCEM.

Posse DVCEM MAGNUM Marti Musisq;

vacare

Scimus, & hac illi regna placere schola.

Bella velit Martemq; ferum maturior aetas

Ast hac Aonidum castra chorumq; regat.

Respice quid moneat Rector, quid curia mandet,

Thespiadum cultor Pieridumq; comes.

Laudandos Domini, petit ut natura potentis

Aula, sic mores subdita turba gerat.

Dux hic non tetricus, nec tristi nubilus ira,

Clementi nostras audiet aure preces.

Hinc pacata quies, hinc & reverentia legum,

Hinc placida mentes, regnet in urbe fides.

Suscipias, DVX MAGNE, modos in carmine

viles:

Non curat numeros, sed pia vota DEVS.

F I N I S.



Te fortiter uteris, te tempore, patricia laudant
Et cingit celeberrima hostis corona D.V.C.E.M.
Pope D.V.C.E.M. M.A.D. V. II. Alani Nuntius
Sonus. Et haec illi regis placere scholas
Bella velle Martem, formam minoris atque, etc.
Respicere quid moneas Rector, quid curia manderet
Theophrastum celsor P. invidiam, comes.
Lactantius Bonini, petri ut naturae potentia
Aula, sic mores subdit a tergo erant.
Quae hic non terribis, nec vultu munda sunt
Clementi nostras audituras preces.
Hinc pacata quies, hinc est reverentia legum
Hinc placida mores, regnet in urbe salus.
Lupinus, D.V.C.E.M. in vobis in carmine
Proferunt numeros, sed sic vota D.V.C.E.M.
Magna in vobis, in vobis, in vobis
Te praesalare comites, in vobis
Lupinus in vobis, in vobis, in vobis



Te



Vc 1882

8

ULB Halle 3
002 426 757




SR

M.C







RECTORATVS
ILLVSTRISSI-
MI GENEROSISSI-
MIQVE PRINCIPIS AC
DOMINI D. MAGNI DV-
cis Brunsvicensis & Lunæ
burgensis:

*Cum in inclyta Salana Academia Magi-
stratus Scholasticus communi omni-
um voto Celsitud. ipsius de-
ferretur*

III. Non. Februar. Anno Sal.
M. D. XCII.

Adiuncto Prorectore Magnifico D.
NICOLAO REVSNERO IC.
ET ANTECESSORE, ILLVSTRISS.
Saxoniae Ducum Consiliario.

Cum carminibus inauguralibus:

ET

Elencho prælectionum publicarum ^{post} susceptum
Magistratum publicato.

IN Æ Typis Tobia Steinmanni.